



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus XXXIV. De Ex cutione[sic!] Sententiæ Criminal.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

Pii V. 50.) Clerici essent tradendi Curia^{re} seculari, criminaliter puniendi, ut qui animæ interitum non horrescunt, hoc certe deterreat civilium legum vindex gladius secularis.

TITULUS XXXIV.
DE EXECUTIONE SENTENTIAE CRIMINALIS.

§. 428.

*Executio
Sententia*

DE Sententia & ejus executione jam dictum est, cum in priori opusculo de Judicio Civili, tum in praesenti Tit. VIII. & passim alibi. Pauca addenda veniunt.

*Fit in auctorem
criminis:*

§. 429. Executio in Processu Criminali est satisfactio quædam, quæ fit per condemnatum, opera & ministerio publici executoris pro sententia jam lata observatione. Si quis condemnatur ad mulctam pecuniariam, quam solvere non potest propter paupertatem; executio fieri non debet in bonis uxoris, patris, matris, fratrum

50.) Una Pii V. Constitutio refertur in libro septimo Decretal. lib. 5. tit. 16. c. 2. & habetur in Bullario Cherubini inter Constitutiones hujus Pontificis N. 5. altera N. 72.

trum aut aliorum de ejus familia, quia pœna non debet excedere suum autorem: qui igitur non habet in ære, luat in corpore. Si quis condemnatur ad mutilationem membri, e.g. manus, executio potius faciendâ esset in manu debiliore, scilicet sinistra, etiamsi hæc esset arida, nisi sententia nominaret manum dextram, qua forte crimen commisit.

§. 430. Ad evitandam pœnam mortis suadent aliqui, ut filius, qui delictum ultimo supplicio dignum commisit, non per ministros Justitiæ, sed per patrem ducatur ad Judicem: tant enim, talem reum non posse pœna mortis affici (51.). Sed periculum esse hunc modum evadendi mortem, agnoscunt passim alii (52.). Eodem modo vicissim loquuntur de patre ad Judicem delato per filium.

§. 431. Executio sententiæ sine gravi causa non debet diu differri. Cum enim non concedatur Appellatio (53.),

L 12

fru-

Executio
sine gra-
vi causa
non est
differen-

51.) Desumi hoc solet ex L. 13. §. 6. ff. de re milit.

52.) Vid. JUL. CLARUS lib. V. sent. §. fin. q. 60. OLDEKOP Caut. crim. lib. 5. caut. 1. CÆPOLLA Cautel. 1.

53.) Excepto casu, de quo supra Tit. 8. §. 90.

frustra affligeretur Reus diuturno carcere, præsertim si condemnatus sit ad mortem, quia longa expectatio mortis fere gravior est, quam ipsa mors. *De his, quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancimus, ut aut convictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuturna non maceret 54.)* Variæ differendæ executionis causæ passim assignantur. Sententia, qua condemnatur mulier gravida ad pœnam corporalem, vel etiam ad pœnam mortis, executioni non debet dari, nisi post partum. Nam ut matris per sententiam peremptæ uterus secetur, & infans, si saltem sit septimestris, ad conferendum baptismum extrahatur, nimis inhumanum est 55.) Si Nobilis, vel in majore dignitate constitutus, vel de Republica optime meritus, vel artis alicujus insigniter peritus ad mortem damnetur, executio deberet differri, donec causa referatur ad Principem. Si post sententiam latam, indicia gravioris criminis, etiam ex confessione ipsius Rei præbeantur, executio differenda est, si
sen-

54.) L. 5. C. de Custod. reor.

55.) Vid. PAULUS ZACCHIUS quæst. Medico-legal lib. 9. tit. 2. q. un. n. 20.

sententia condemnet solum ad pœnam corporalem : si autem condemnetur reus ad pœnam mortis, frustra differtur executio pro pleniore informatione alterius criminis, nisi forte ex hoc detecto, gravia mala Reipublicæ impediri possent, uti Seditio &c.

§. 432. Executionem sententiæ im-^{Princeps}pedire potest Princeps ex jure aggra-^{habet jus}tiandi, quod illi competere suppo-^{aggrati-}nimus, quamvis multi negent hanc^{andi ;} potestatem Principis in iis criminibus, quibus statutam pœnam jure Divino legimus, quale est homicidium, adulterium, fortilegium &c. 56.) Id apud omnes certum est, jus aggratiandi tam caute, & moderate usurpari debere, ut Respublica ex impunitate criminum non patiatur damnum, & Princeps se non reddat participem eorundem criminum. Dum gravem indignationem ostendebat Rex quidam ob tertium homicidium a No-

L 1 3 bili

56.) CARPZOV. Jurispr. forens. p. 4. const. 9. def. 7. BERGER Elect. Jurispr. Crim. in supplem. p. 2. observ. 100. & in disquisit. de pœna adulterii. Justus OLDEKOP Decad. 2. quæst. 1. ubi ostendit, quod Carpzovius circa hanc materiam sibi ipsi sæpius contradixerit.

bili quodam commissum, adstans Morio, unum solummodo homicidium a Nobili isto commissum affirmabat, reliqua duo a Rege, qui primum non punivisset morte. Homini ad scelera prono, & nondum emendato veniam dare, idem est, ac invitare ad plura perpetranda. Matrōna quædam nobilissima preces apud Principem interposuit pro vita scelerati cujusdam servanda: annuit Princeps sub ea conditione, ut Matrōna hunc hominem assumeret ad sua servitia, & aleret, simulque fidejussionem præstaret, eum ad priora scelera non rediturum: has conditiones matrōna inire nec voluit nec potuit: & Princeps vitæ gratiam facere nisi sub istis conditionibus, nec voluit, nec se posse credidit.

Si gratia non habet locum, absque mora est procedendum. §. 433. Si honestioris indolis & conditionis viri merentur gravem pœnam, sæpe eos Princeps punire, emendare, & reipublicæ utiles reddere potest per hoc, quod sentiant indignationem Principis, quod non permittantur aspirare ad aliquem honoris gradum, quod priventur quibusdam juribus honorificis, quod afficiantur aliqua ignominiosa pœna, qualis olim inter

ter Germanos fuit *κυνοφογία*, qua milites nobiles gravium criminum rei, ignominiae gratia, canem humeris per passus aliquot gestare cogebantur (57.). Si tamen ob publicum scandalum sit severius agendum, praecipue circa crimina, quae vel animum abjectum produnt, ut Assassinium, Veneficium, Adulterium, Calumnia, vel pravo exemplo alios cum pernicie Reipublicae ad simile facinus excitant, ut sunt duella: in ejusmodi casibus nulla severitas nimia est, sed potius cavendum, ne publici supplicii dedecus desperato quodam consilio ab ipso reo, vel ejus consanguineis evitetur. Unde removeri solent omnia instrumenta, quibus uti posset reus ad vitam sibi eripiendam. Memorabile exemplum recenset MENOCHIVS (58.) de quodam ob grave crimen e furca suspendendo, quod aegre admodum ferens ipsius frater, optabat maleficum fratrem veneno necare, quod tamen diligens adhibita custodia impediebat. Impetravit tandem hic frater pridie, quam laqueo alter suspen-

L 14 de-

57.) JACOB. ANDR. CRUSII Discursus Historicor. de *Κυνοφογία*.

58.) De arbitr. Jud. lib. 2. cas. 285.

deretur, ut eum alloqui & deosculari saltem posset, quod obtinuit. Cum itaque osculari eum fingeret, ore illi obtulit pillulam pessimi veneni, quam maleficus ore excepit, bene intelligens, quid esset: atque ita dentibus fractam demisit, & nocte subsequenti vitam finivit. In tali casu posset Judex jubere, vita functum, vel laqueo suspendi, vel aliis ignominiiis affici, quamvis alias in occisorum cadavera scivire non deceat.

§. 434. Antequam sententia capitalis executioni detur, in multis Germaniæ Provinciis conceditur Reo, ut testamentum condat de bonis, quæ post compensata damna læsis illata, & expensas judiciales supersunt, exceptis reis criminum, quibus confiscatio bonorum est statuta. Ultimi dies impendendi sunt pro præparatione ad christianam mortem subeundam, admissis piis Sacerdotibus: administrantur Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, non tamen extremæ Unctionis: sumpturus Eucharistiam solvitur vinculis, custoditur in honestiore cubiculo, liberaliore cibo recreatur: &
non

Conceditur tempus pro præparatione ad mortem.

non solet ultimo supplicio affici eodem die 59.)

§. 435. Executio poenæ capitalis fieri non debet in die feriato præsertim *portunus* in honorem DEI 60.) Cum apud *statuen-*
Valentinianum delato periculoso cri- *duz*
mine accusator urgeret, & Præfectus
insisteret, respondit Imperator, ut
nihil cruentum sanctis præsertim diebus sta-
tueretur 61.) Si non supersit ratio
differendi executionem, damnatus ad
mortem ducitur per loca consueta
publica, & executio non fit occulte,
aut in carcere, nisi gravissimæ ratio-
nes id exigant, uti metus seditionis,
dignitas ad mortem condemnati. Si-
quis ultima dié Executioni destinata,
criminis, quod antea tam in tortura,
quam ad bancum Juris confessus fue-
rat,

L 15

rat,

59.) Quod Eucharistia non soleat dari
damnatis ad mortem in quibusdam locis,
notavi de Jur. rer. Eccles. sect. 2. §. 222.
videri potest *Guazzinus Defens. 33. c. 2.*

60.) L. 12. ff. de public. judic.

61.) S. *Ambrosius* Conc. de obitu *Valen-*
tiniani. Quid inter *Theodosium* Impera-
torem & *Ambrosium* circa poenam *The-*
salonicensium actum sit, legi meretur
in vita *Theodosii* scripta gallice par *M.*
Flecher fol. 402. seqq.

rat., reum se neget, monent aliqui, hanc non esse causam sufficientem differendi executionem 62.): alii mitius sentiunt, & acta novo examini Jurisconsultorum subjicienda censent 63.), quibus facile accederem, si condemnatus possit verosimilem rationem reddere, quod crimen confessus fuerit solummodo ex dolore & metu tormentorum, vel quod aliunde confessio illa fuerit irrita: absque ejusmodi verosimilibus indiciis plerumque praesumitur dolus ad differendam mortem inventus.

Et supplicium juxta sententiam condemnatum. §. 436. Si supplicium jam inferri ceptum, nondum autem, rupto forte laqueo, fracto ense consummatum sit, vel si quis combustis vinculis liberé ex flammis prodeat &c. vobis aliqui, talem casum praesumi debere miraculosum, & singulari Providentiae DEI adscribendum, ut propterea reus sit liber dimittendus, praesertim si iste ante executionem publice se innocentem protestetur, & Deum invocet, ut ostendat suam innocentiam

62.) CARPZOV. rer. crim. p. 3. q. 126. n. 63. seqq.

63.) OLDEKOP Decad. 2. q. 5.

tiam 64.) . Sed nisi alia se prodant indicia , tam favorabilis præsumptio pro reo non nititur sufficienti ratione 65.) . Id demum observari solet , ut modus executionis ob longam moram , & atroces dolores condemnatum non inducat in desperationem : unde damnati ad rogam solent prius strangulari , antequam comburantur , nisi forte omnino essent impœnitentes , & obstinati in crimine : his enim nulla esset spes salutis , de qua Judex posset esse sollicitus 66.) . Post executionem cadaver condemnati , si pœnitens obiit , sepeliri solet in loco sacro cum consensu Judicis , qui pro exasperanda pœna , vel ad terrorem aliorum potest jubere , ut cadaver maneat

ex

64.) *ALCIATUS* de Præsumpt. regula 3. præsumpt. 44. n. 4.

65.) *DECIUS* in L. favorabiliores. 125. (quam *Decius* ponit n. 167) ff. de R. J. *GOMEZ* Resolut. tom. 3. c. 13. n. 37. Ceteris latius hanc quæstionem exornat *LUCAS DE PENNA* in L. 1. n. 24. seqq. C. De desertorib, lib. 12. ubi recenset varia exempla & argumenta in utramque partem.

66.) *COVARRUV.* var. resol. lib. 2. c. 10. n. 9. in fine. *JUL. CLARUS* lib. 5. sentent. quæst. 99. n. 7.

ex furca pendens, vel rotæ imple-
xum, vel dissecti corporis partes in
celebrioribus viis conspiciendæ su-
spendantur &c. Principes etiam so-
lent providere, ut ejusmodi cadave-
ra tradantur Anatomix in Academia
instituendæ. Si aliqua constitutio vel
Conventio discrimen facit inter eos,
qui violenta, & qui naturali morte
obeunt, Rota Romana decidit, su-
spensum aut capite plexum non dici
mortuum violenter, sed naturaliter
67.)

*Judex
Ecclesia-
sticus po-
test de-
grada-
tum tra-
dere Cu-
ria secu-
lari.* §. 437. Circa executionem per Cu-
riam Ecclesiasticam, notanda præci-
pua est frequens mentio in Sacris Ca-
nonibus de Clerico Curix seculari tra-
dendo. Explicationem hujus phrasıs
tradit INNOCENTIUS III. 68.), scilicet
si Clericus ob flagitium grave & dam-
nosum, accedente post iteratam ad-
monitionem incorrigibilitate, fuerit
degradatus, tanquam exutus privile-
gio Clericali, per consequentiam foro
seculari applicetur, pro quo ta-
men

67.) SEBAST. GUAZZINUS defens. 38. c.
5. in fin.

68.) Lib. II. epist. 257: ex qua desumitur
c. 27. de V. S.

men debet Ecclesia apud potestatem
secularem efficaciter intercedere, ut
citra mortis periculum circa eum sen-
tentiam moderetur: conceditur ita-
que Judici seculari, ut adversus ta-
lem degradatum procedat, sicut ad-
versus alium laicum 69.). Si itaque
Judex Laicus non existimet ad pœ-
nam capitalem procedendum esse, tra-
ditur ejusmodi degradatus, ut Curia
seculari serviat, id est, ut sustineat
onera municipalia, quæ olim erant
valde gravia 70.). Sic Clericus, qui
Episcopum suum accusaverit, aut ei
insidiator extiterit, a gradu debet re-
cedere, ac curiæ tradi *serviturus* 71.).
Item *submotus a Clero, Curia tradatur,*
cui diebus vite suæ deserviat 72.). An
autem ad servitium vel ad pœnam
trahatur, non determinatur: *Mox*
depositus Curia tradatur, & recipiat, quod
iniquè gessit 73.). Si autem causa de-
gradationis mere pertineat ad cogni-
tionem

69.) C. 7. de Crim. fals.

70.) L. quemcunque 39. Cod. Theodos. de
Episc. & Cler. & Cod. Justin. eod. tit.
Leg. 53. §. 1.

71.) C. 8. III. q. 4.

72.) C. 31. XI. q. 1.

73.) C. 18. ibid.

tionem Judicis Ecclesiastici, uti est causa hæresis, non permittitur ulterior cognitio Judici Laico, qui proinde debet eum punire, ut hæreticum non toleratum.

*Excom-
municatio quan-
do possit publica-
ri?*

§. 438. Excommunicatio non potest ferri, nisi præmissa competenti, id est, trina monitione 74.). Talis monitio non requiritur, si crimen sit notorium, & scandalum ex eo publicum. Sic S. Paulus excommunicavit incestuosum. Item monitio non requiritur, si excommunicatio infertur ab ipsa lege 75.). In hoc tamen casu deberet constare de contumacia ad hoc, ut excommunicatio, quam aliquis incurrit, publice promulgetur, & reus denuntietur, tanquam vitandus. Nam post Extravagantem MARTINI V. longe aliud est, incurrere excommunicationem a Canone statutam; aliud autem, nominatim denuntiari tanquam excommunicatum, cum forte jam paratus sit ad satisfaciendum.

§. 439.

74.) Juxta C. 45. & 48. de Sent. Excom.
item C. 9. eod. in 6.

75.) C. 26. de Appellat.

§. 439. In Jure cautum est, ut *sententiam sanguinis nullus Clericus dicat aut proferat* (76.): unde dubitare videntur aliqui, an Episcopus Clericum condemnare possit ad pœnam fustigationis, & sententiam hanc exequi per laicos ministros, quia in fustigatione plerumque intervenit aliqua sanguinis effusio, dum cutis crebris verberibus laceratur. Alii tamen scrupulum omnem remonent: nam non consideratur qualiscunque sanguinis effusio, quæ in tali casu principaliter non venit ex sententia, sed ex aliis circumstantiis accidit. Ea igitur pœna a Judice Ecclesiastico non debet infligi, ex qua principaliter & immediate sequitur sanguinis effusio, uti sequitur ex amputatione membri (77.).

§. 440. Multa hoc loco notari possent circa executionem per Curiam Ecclesiasticam implorato auxilio, brachii auxilio secularis: sed studiose abstineo (78.). Nam in nostra Germania Episcopi plerumque

76.) C. 9. Ne Cler. vel Mon.

77.) Vid. GRILLANDUS de Relaxat. carcerat. q. 5.

78.) Vid. LOPEZ DE SALCEDO Pract. Crim. cap. 154.

plerique, tanquam Principes Imperii, & Domini integrarum Provinciarum brachio pollent sat potenti; & id solummodo optant, ut per brachium seculare externum, in cuius territorio, Episcopali Jurisdictioneungi volunt, ab executione suarum sententiarum non impediuntur. Claudimus igitur hunc tractatum, & monemus, animum nostrum non fuisse tradendi totum, quae late patet, Processum Criminalem, sed ea praecipue attingendi, circa quae versatur Liber Quintus Decretalium, immixtis etiam multis, quae ad forum seculare spectant, in gratiam Auditorum Juris Canonici in Academia Ingolstadiensi, qui utriusque fori praecipue imbuuntur volunt. Cum autem haec omnia intra arctos limites constringenda fuerint, opportunum videtur, ut adjiciamus Catalogum Autorum quorundam, qui consuli possunt.

Innumerum Autores scribunt de Judiciis Criminalibus. Inprimis omnes illi, qui Commentaria scribunt in Librum V. Decretalium, in Librum 47. & 48. in Pandect. in Librum 9. Cod.

Præterea pro foro Canonico servantur
 BARR. DIAZ Praet. Crim. quam antioxiorem reddidit
 IGNATIUS LOPEZ de Salcedo.

PEL.

PELLEGRINI Praxis Vicariorum.

LEURENII Vicarius Episcopalis.

JOAN. SEGURA Directorium Judicum Eccles. Forl.

Circa processum contra Sagas, præter eos, qui nominantur ad Tit. XXI. de Sortilegiis, legi meretur BARTHOL. SPINEUS de Strigibus; NICOLAUS REMIGIUS de Dæmonolatria; PETRUS BINSFELDIUS de Confessionibus Maleficarum.

De Regularibus accuratius scribunt

OCTAV. SPATHARIUS de Incisa, de Modo corrigendi Regulares; *hic Autor propria experientia sustinuit personam Judicis, & Rei Regularis accusati.*

PETRI MARIE PASSERINI Tribunal Regularæ.

PAULINI BERTI Praxis Criminalis Regularium.

ANACLETUS REIFFENSTUEL ad Lib. V. Decretal. Tit. I. exhibet formam Process. Crim. apud Reg. sui Ord.

Pro Judiciis Secular. magnum nomen & usum habent

TIBERII DECIANI Tractatus Criminalis;

PROSPERI FARINACII Practica & Theoria Criminalis.

JODOCI DAMHOUDERII Praxis Rerum Criminal.

JULII CLARI Liber V. Recept. Sent. ubi Pract. Crim.

JOAN. HENR. DE BERGER Electa Jurisprud. Crim.

JOAN. CHRISTOPH. FRÖLICH Nemesis Tyrolens.

JOAN. EMERICI A ROSBACH Practica Crim.

JOAN. RUDOLPHI ENGAU Elementa Jur. Crim.

JOAN. SAMUEL. FRIDER. BOEHMERI El. Jurispr. Crim.

SCHWESERI Process. Crim.

BENED. CARPZOVII Pract. Ref. Crim.

JUSTUS OLDEKOP contra Carpzov.

Ejusdem Cautelæ Criminales.

ÆGIDII BOSSII Tractatus Criminalis.

TRANQUILLUS AMBROSINUS de Process. Informat.

HIPPOL. DE MARSILIIS Practica Crimin.

JACOB. BOURICII Captivus, seu Enchiridion Defens.

SEBAST. GUAZZINUS ad Defensam Reorum.

FLAMINIUS CHARTARIUS de Exec. Sent. Contumac.

LUDOVICI GILLHAUSEN Arbor Criminal.

M m

FER-



FERDINANDUS WAIZENEGGER de Maleficis.
Tractatus Criminales variorum Autorum.

*Qui scripserunt Consilia, semper immixta habent, quæ
ad res Criminales pertinent. Integros autem Consilio-
rum Criminalium tomos ediderunt*

HERMANN. ANT. DE CHLINGENSPERG.

PETRUS SCHILTENRERGER.

LAUR. ALB. VERLONNER.

FELIX ANT. L. B. DE WEITTEAU.

BARTHOL. CEPOLLA.

JOAN. BAPT. ZILETTUS variorum Consilia Criminalia
duobus tomis collegit.



**ORDO TITULORUM
IN LIBRIS QUINQUE DECRETA-
LIUM GREGORII IX,**

Et

**Tituli Institutionum Juris Canonici, Rubricis
LL. quinque Decret. respondentes, ubi**

*Numerus Romanus indicat Partem: I. Præcognita Juris
Canonici: II. Hierarchiam Ecclesiasticam: Pars
III. & IV. de Jure Rerum Eccles. distinguuntur in
Sectiones, quæ notantur litera S.: V. de Judiciis
Eccles. Civilibus: VI. de Judiciis Eccl. Criminalibus.
Numerus Arabicus Titulum denotat.*

LIBER I.

**Tit. I. De Summa Trinitate & fide ca-
tholica.**

II. De Constitutionibus.

III. De Rescriptis.

IV. De Consuetudine.

V. De Postulatione Prælatorum.

VI. De Electione & Electi Potestate.

Pars I. 6.

l. 8.

l. 16. IV. S. III. IV.

l. 18.

II. 20.

18. 19.

VII.